



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XVII. Aliorum quoque argumentorum aduersùs distinctionem virtuales
intrinsicam in rebus creatis solutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

uersariis allatam. Secundò, quoniam ab Aristotele, Augustino, Damasceno, Thoma, & ab omnibus philosophis inæqualitas inter relationes prædicamentales connumeratur: relatio autem prædicamentalis, quæcunque ea sit, extrema realiter distincta, non verò eadem necessariò interiacet, ut infra lib. 3. huius operis tract. 6. cap. 13. à nobis latè probabitur. Tertiò, quia in personis diuinis nil maius, aut minus est, ut in symbolo Athanasij Ecclesia decernit: & tamen realiter distinguuntur, solamque identitatem habent mediatam, & in essentia omnibus communi: à fortiori ergo quæ immediatam fortiuntur identitatem realem, hoc ipso nullam inæqualitatem admittunt. Aliis probationibus superfedeo, ne, quam par est, longior sum in re confessa, ac manifesta. Cum igitur animal rationale reipsa sit idem cum gradu animalis, quem includit, quò fieri potest, ut sit eo maius, aut perfectius quantumlibet ab illo virtualiter distinctum?

245 Rationes autem, quibus ad uersarij inæqualitatem, excessumque eum ex nostra sententia inferunt, quantum arbitror, sunt planè nullæ. Ad primam dicendum est, animalitatem, & rationalitatem non esse duas perfectiones propriè, ac simpliciter, sed vnam solam, cum neutra sit ab altera plusquam virtualiter distincta. Quod autem improprie, ac latè duæ sint, ad excessum parum, aut nihil refert; aliàs etiam in contraria opinione animal à rationali, & hoc ab illo sola consideratione tenus distinguente animal rationale solo animali perfectius esset, atque præstantius. Ad secundam dicendum est, animal, quod est in homine, esse quidem præcisiuè, & secundum quid æquale ei, quod est in equo: at realiter, & propriè vtrumque esse inæquale: vnde licet animal rationale sit perfectius animali, quo constat equus, non tamen eo, quem homo inuoluit: humanum enim, & equinum esse æquale, si propriè loquendum, omni, ut sic dicam, falsitate falsius est. Rursus quod est æquale vni æqualium, non propterea est æquale alteri; si nimirum non petinde ab vno, ac ab altero realiter distinguatur, sicut ad relationem æqualitatis oportet: hinc est, ut quamuis Petrus, & Paulus sint æquales in ratione hominis, Petrus tamen sibi metipso nequiquam sit æqualis, tametsi Paulo sit æqualis. Pari ergo ratione, licet animal rationale sit perfectius animali, quod est in equo, eique inæquale, haud propterea perfectius erit animali, quod est in homine, ut vtrumque animal præcisiuè, aut, si maius etiam possitiuè æquale sit: ab vno enim, & non ab altero realiter distinguitur: Regula ergo illa, quod est perfectius vno æqualium, debet etiam esse magis perfectum altero, duntaxat locum habet, quoribus quod contenditur cum vtroque ab eis est realiter distinctum.

246 Decimumseptimum aduersus nos argumentum. Admissa semel distinctione virtuali graduum, ea certe negari nequit inter vim cognoscitiuam, & appetitiuam: nullum enim argumentum distinctionem virtualem alibi, & non hic probat, ac pari quidem vtroque vi, & energia. Sicut enim procul intuens hominem, eumque non discernens à bellua, cognosco, quòd sit animal, nescius, an sit rationale; ita etiam possum cognoscere certò creaturam aliquam Deo possibilem esse cognoscitiuam, & ignorare, an sit aliquis appetitiua: multi namque creaturam intellectiuam, & non volitiuam haud repugnare censent, tametsi hallucinentur, ut constabit in loco: iam ergo in hac creatura, adeoque in quavis alia id genus distinguuntur virtualiter gradus intelligendi, gradusque volendi, vel certè nullius erit momenti potissima

experientia, qua probari consuevit, animal, & rationale in nobis virtualiter esse distincta. Rursus ei gradus respiciunt diuersa connotata, cognitionem nimirum, & appetitionem: contemplatione ergo illorum distinguetur virtualiter alter ab altero, si propterea animal à rationali, odium contritionis ab amore, & quæcunque demum formalitas ab alia virtualiter distinguitur, quia diuersa connotata spectant: propterea autem eas ita distingui semper disputamus, qui illarum tuemur distinctionem, nullumque nostræ sententiæ argumentum non huic fundamento superimponimus.

Iam verò quod vis cognoscitiua à vi appetitiua nequeat virtualiter distingui, haud est difficile probatu. Etenim si ita sint distinctæ, altera earum poterit solum appetere, & altera cognoscere duntaxat. Quòd si vtraque ad vtrumque valet, non erit, ut eis prædicata contradictoria conueniant, quemadmodum ad distinctionem virtualem oportet. Porro si altera tantum appetere, & non cognoscere potest, ea quidem de potentia ad actum reducta tantum appetet, & non cognoscat: hoc autem omnino repugnat, nihil enim volitum, quin præcognitum, ut & communis philosophorum omnium consensus, & naturæ ipsius lumen demonstrat. Nec prodest recursus ad identitatem realem vtriusque gradus, quasi, ut alter amet, satis sit, alterum ab eo realiter indistinctum cognoscere: namque si vis appetitiua propriè non cognoscit, cæca manebit, quantumlibet vis cognoscitiua secum eadem obiectum non ignoret: huius igitur cognitio inutilis erit ad id, ut illa dirigatur, ac cæcitatem deponat prout ad amandum opus.

Nemo Thomistarum hoc argumento premere poterit, aut premi se putabit, cum fermè omnes censeant, voluntatem amare, & non eam, sed intellectum ab ea etiam realiter distinctum cognoscere obiectum amandum. Deinde aduersus nos etiam nullam vim habet, quippe qui tuemur, vim appetitiuam propriè, & absolute cognoscere bonitatem, quam est amatura, tametsi eam non nisi media vi cognoscitiua secum realiter identificata cognoscat; & vtrique nihilominus prædicata contradictoria conuenire, scilicet quoniam vis appetitiua prout appetitiua non cognoscit, sed solum prout cognoscitiua: quod autem prout appetitiua non cognoscat, haud efficit, ut nequaquam propriè cognoscat; quemadmodum etiam album prout album non est dulce, & tamen absolute, ac verè est dulce. Vide quæ supra cap. 15. in hanc rem disseruimus.

CAPVT XVII.

Aliorum quoque argumentorum aduersus distinctionem virtualem intrinsecam in rebus creatis solutio.

249 QVorum primum, sed respectu præcedentium decimumoctauum esto. Quidquid à parte rei existit, & productionem terminat, singulare est. Et quidem homo, v. g. non existit à parte rei, nisi in quantum Petrus, vel Paulus, aliudve indiuiduum: par est ratio alterius cuiusvis conceptus vniuersalis; nullus ergo existit à parte rei, ut talis, & non potius, ut singularis. Huc facit, quod ait Aristoteles lib. 1. metaph. cap. 1. non hominem, sed Socratem, & Calliam à medicis curari: non ergo homo, quatenus vniuersalis, sed quatenus singularis, quamuis aliam actionem, ipsamque terminat existentiam, Porro quod

quod affingi solet Platoni, vniuersale existens à parte rei sine vlla singularitate, ab omnique separatum, & est à nobis in Dialect. lib. 8. tract. 2. cap. 1. satis impugnatum, & sponte sua adeo absurdum, & improbabile, vt vix alia improbatione reddi possit improbabilius. Quæ, cum ita sint; natura Petri prout condistincta virtualiter à quouis alio prædicato ex parte rei existit, & productionem terminat: igitur est singularis per seipsam, & prout à quouis alio virtualiter distinguitur, ac proinde singularitas à natura virtualiter indistincta erit. Quod si gradus specificus, & indiuidualis non sunt distincti virtualiter, vt videtur hoc argumento probari, necnon sequent. non paucis, certe quicunque alij gradus inæquales erunt distinctionis virtualis expertes.

250 Respondeo: sicut quod existit, & terminat productionem, est necessariò in tempore, & loco, non tamen pro priori signo rationis, quo existit, & producitur, ac vbiacionem, & durationem antecellit, sed in alio posteriori; ita natura humana Petri existens, & terminans productionem est singularis necessariò, non tamen in priori signo, quo existit, & hæcœcitatem virtualiter antecedit, sed in alio posteriori: vnde per singularitatem à se virtualiter distinctam esse poterit singularis. Aliter etiam responderi potest, naturam Petri prout condistinctam virtualiter à quouis alio existere, & produci, non tamen penes infimum gradum existentie, & productionis, sed penes superiorem quendam: gradibus enim essentie gradus existentie ab essentia virtualiter distinctæ, & gradibus existentie gradus actionis respondent: pro illo ergo signo priori natura existit, & est producta, sed non per existentiam, & productionem, vt existentia, & productio est hæc, & infima, quod necessarium erat, vt pro illo signo priori natura secundum se esset singularis, & hæc numero.

251 Decimum nonum argumentum: natura Petri, verbi gratia, prout condistincta virtualiter à singularitate est indiuisibilis in plures naturas numericè, & realiter: ergo est vna numericè, & realiter: ergo etiam prout ita præcisa est singularis, quandoquidem vnitas numerica, & singularitas in idem recidunt. Respondeo, naturam Petri prout condistinctam à singularitate, nec esse diuiduam, nec esse indiuiduam in plures naturas: alterum enim ab eius identitate cum sua singularitate, & alterum ab eius identitate cum pluribus singularitatibus proficiscitur: at ab vtraque identitate virtualiter saltem distinguitur, atque adeo præcindit in eo signo, in quo ipsa secundum se tantum accipitur: quod mirum ergo, si tunc præcisionem etiam habeat ab eo, quòd sit diuisibilis, & indiuisibilis in plures naturas.

252 Vigessimum argumentum. Natura Petri prout condistincta virtualiter à singularitate non est idem realiter, & numericè cum natura Pauli etiam præcisè sumpta, aliàs realiter distingui non possent: quæ enim semel identificantur, nunquam distingui sistent: iam ergo hæc naturæ pro priori ad singularitates realiter, & numericè distinguuntur: perinde namque est, non esse idem realiter duo quædam, atque distingui realiter: ergo pro illo priori tales naturæ sunt vnum, & aliud quid numericè, ac proinde singulares: superfluum ergo singularitates eis virtualiter superadditæ. Sed respondeo, naturam Petri præcisè, & secundum se sumptam, nec eandem realiter, nec distinctam realiter esse à natura Pauli, vt constat ex dictis paulò suprà.

253 Vigessimum primum argumentum: Petreitas, verbi R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

gratia, naturæ Petri vnitur, ac realiter identificatur, non verò naturæ, quæ est in Paulo: idemque de Pauleitate dici debet: natura ergo Petri, & natura Pauli pro priori signo ad singularitatem vtrinque sunt distinctæ realiter, ac proinde singulares: aliàs non posset Petreitas vniri, seu identificari huic potius naturæ, quàm illi, nisi pro priori hæc, & illa natura à parte rei daretur, & multiplex esset, sicut nequit intellectus cognoscere hoc obiectum potius, quàm illud, verbi gratia, album præ nigro, quin pro priori hoc, & illud supponatur obiectum. Respondeo, naturam Petri, & naturam Pauli habere duplicem vnitatem, virtualement scilicet, & numericam, & proportionem seruata duplicem distinctionem à quouis alia natura, nimirum virtualement, & numericam, siue realem: Pro illo igitur priori signo, de quo sermo est in argumento, tales naturæ sunt vnum, & vnum quid virtualiter, non verò numericè, ac per consequens distinctæ siue hæc, & illa virtualiter, non verò numericè: Pro posteriori verò signo, in quo singularitates intelliguntur, eiusmodi naturæ etiam realiter, ac numericè sunt inter se distinctæ: quibus positis, distinctio illa virtualis alterutrius naturæ ab altera pro priori ad singularitates intellecta sufficit, vt singularitas Petri, verbi gratia, vni potius naturæ, quàm alteri pro posteriori vnatur, ac realiter identificetur. Atque hinc constat, distinctionem virtualement esse, merito cuius prædicata contradictoria conueniunt, siue in eandem rem positiue, siue in eandem præcisiue, hoc est, quæ nondum sit realiter multiplex.

Vigesimum secundum argumentum: formalitates realiter distinctæ per semetipsas nequeunt fieri vnum quidpiam realiter, & numericè per aliud à se virtualiter distinctum, vt sponte sua indubitatum est, aliàs quidem singularitates quantumlibet distinctæ realiter, beneficio tamen vnius naturæ realiter adunari, & identificari possent: ergo è conuerso formalitates per seipsas non distinctæ realiter distingui, ac multiplicari nequeunt per aliud à se virtualiter distinctum, nimirum per singularitates: sed natura Petri, & natura Pauli per seipsas realiter non distinguuntur; aliàs seipsas singulares essent, atque hæc, & illa numero: natura ergo Petri, & ea, quæ inest Paulo per singularitates à se virtualiter distinctas haud poterunt realiter distingui, ac multiplicari, haudve singulares effici. Respondeo: distinctio realis excludit identitatem realem: quare semel essentialiter distincta, per aliud realiter identificari nequeunt: at formalitates pro aliquo signo indistinctæ realiter realem distinctionem non excludunt, sed solum ab ea præcindunt: quam enim damus indistinctio, & vnitas inter humanitatem Petri, & humanitatem Pauli pro priori, ac secundum se sumptas, non negatiua, sed præcisiua est: vnde pro posteriori eæ formalitates, siue naturæ distingui realiter, ac multiplicari numericè poterunt per singularitates à se virtualiter distinctas.

Vigesimum tertium argumentum: omnes gradus superiores vnica singularitate afficiuntur, eique identificantur, & eius merito in idem numero completum indiuiduum coalescunt: haud ergo inter se plus distingui poterunt, quàm distinguatur in se tertium illud, in quo vniuntur, & quo sunt affecta: sicut enim in creatis quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, ita quantum tertium est idem in se, tantumdem ea identificabuntur inter se, cum vnitas eorum ab vnitatem, & identitate tertij sumatur, adeoque fieri nequit, vt plus sit in eis distinctionis, ac minus identitatis, quàm in tertio, quod respiciunt.

G At

At singularitas est vna, & eadem virtualiter in Petro, verbi gratia; ergo & gradus superiores ei identificati. Respondeo: in creatis eadem vni tertio realiter sunt realiter idem inter se, quod sanè in diuinis verum non habet; aliàs Paternitas, & Filiatio ab essentia Dei realiter indistinctæ realem inter se nequaquam admitterent distinctionem. Cæterum realiter eadem vni tertio in creatis non debent esse eadem virtualiter inter se, vt contendit argumentum, quia vnitas immediata duorum conceptuum obiectiuorum non à sola vnitate, & identitate tertij desumitur, vt falsò assumunt aduersarij, sed etiam ab vnitate, & identitate eorum cum tertio: quamobrem licet singularitas Petri sit vna, & eadem in se virtualiter, poterunt tamen gradus superiores in ea velut angulo quodam nexi, & coherentes, nihilominus inter se distinguere virtualiter, propterea, quod nequaquam sortiuntur virtutalem cum eiusmodi singularitate vnionem, atque identitatem. Deinde satis facillè responderi potest, singularitatem haud esse in Petro, aut vllò alio indiuiduo vnam, & indiuisibilem, vt supponitur in argumento, sed fortassis diuisibilem, ac virtualiter multiplicem pro multiplicitate graduum superiorum, & inæqualium, quos afficit, atque, vt sic dixerim, singularizat.

256 Vigessimumquartum argumentum. Admissa distinctione virtuali in rebus creatis, sanè in eis principium istud, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se minime tenebit, sed potius ei multoties falsum suberit: siquidem hic syllogismus non concludit: animalitas hominis est similis equo, sed rationalitas est animalitas hominis: ergo rationalitas est similis equo: nec etiam hic syllogismus: amor, & odium contriti sunt idem realiter, sed amor ad diuinam bonitatem terminatur: ergo & odium: ex quo vltèrius fit, principium etiam, quod vocant dici de omni, & dici de nullo nullius esse firmitatis in rebus creatis: eius enim, & prioris par est ratio, quod ad præsens attinet: deinde figuras omnes, ac modos syllogisticos ab Aristotele traditos nullo modo esse viles, sed merito distinctionis virtualis passim fieri inutiles: attem etiam inueniendi medium, vt sic loquamur, reddi incertum, ac denique nihil, vt verum, aut etiam, vt verisimile posse concludi.

257 Respondeo primò, principium illud metaphysicum, quæ sunt eadem vni tertio, &c. non de sola identitate reali, sed de reali, & virtuali simul intellectum hoc pacto; quæ sunt eadem vni tertio realiter, & virtualiter, sunt idem inter se; certum, & irrefragabile esse vbiuis. Idcirco enim rationalitatem esse similem equo, odiumque contritionis terminari ad bonitatem Dei non sequitur in syllogismis nobis obiectis, quia in præmissis prioris rationalitas, & similitudo identificantur quidem animalitati, at non ambæ virtualiter etiam, sed duntaxat virtualiter vna, & realiter altera: & in præmissis posterioris odium, & terminatio ad diuinam bonitatem cum amore nihilo fecius identificantur. Bene verum est, ad inferendam identitatem extremorum inter se in conclusione, haud semper requiri tantam identitatem in tertio, hoc est realem, & virtutalem: hic enim syllogismus, omnis homo est risibilis, Petrus est homo, ergo Petrus est risibilis, bene concludit, cum tamen risibilitas, & Petrus haud identificentur virtualiter cum homine in præmissis. At quoties identitas mediata, & in tertio adeo rigorosa datur, nec in creatis, nec in diuinis desinit bene sequi conclusio. Instabis tamen: si non semper requiritur identitas virtualis extremorum cum tertio, vt aliquid de eis postmodum conclu-

datur, vnde constat eius syllogismi; animalitas est similis equo, sed rationalitas est animalitas; ergo rationalitas est similis equo, conclusionem non esse bonam: eius enim extrema in præmissis cum medio realem sortiuntur identitatem. Respondeo; aut eius sensus est rationalitatem esse virtualiter similem, siue rationem assimilandi; & ita quid mirum, si id non sequatur ex identitate tantum reali talium extremorum cum medio: aut sensus est, eam esse reipsa similem merito animalitatis secum identificatæ; & ita conclusio rectè sequitur, estque vera, & nulli falsitati obnoxia.

Quocirca respondeo secundò nonnihil aliter, & expeditius, clariusque, nisi fallor; si termini eodem modo sumantur in præmissis, & in conclusione, semper optimè colligi, & concludi, esse idem inter se, quæ sunt idem vni tertio, adeoque principium hoc vtile esse, & in nobis eius vim nequaquam infringi: quando namque dicitur, animalitas est similis equo, sed rationalitas est animalitas; ergo rationalitas est similis equo; consequentia est optima, ac verissima: vt enim rationalitas sit propriè, ac realiter similis equo, satis est, vt mediante animalitate secum realiter identificata, eiusque interstitio sit similis. Instabis tamen, hunc syllogismum esse inutilem: animalitas est per seipsam immediate similis equo, rationalitas est animalitas, ergo rationalitas erit immediate, & per seipsam similis equo. Respondeo, talem syllogismum esse inutilem, quia in illo termini in præmissis, & in conclusione diuersimodè accipiuntur: nam in minori propositione tantum asseritur rationalitatem realiter, ac veluti mediata, non verò virtualiter, & immediate: contra verò in conclusione inferitur, rationalitatem esse similem equo immediate, ac per seipsam etiam virtualiter; variantur ergo termini: quod cum contingit, iuxta omnes syllogismos est inutilis: haud magis ergo in nostra, quàm in omnium sententia eneruatur forma syllogistica, & principium illud, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se.

259 Respondeo tertio: aliud est duo quædam esse idem in concreto, aliud ea esse idem in abstracto: album, & dulce in concreto sunt idem, & alterutrum prædicari potest de altero; in abstracto verò sumpta, nec sunt idem, nec mutuo prædicari sustinent: haud namque, vt album esse dulce, sic albedinem ex vero asserueris. In creatis ergo quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se in abstracto, non verò in concreto: licet enim in syllogismo toties inculcato rationalitas non sit similis equo, cui tamen animalitas est similis, ac proinde non sit idem cum similitudine in concreto, at est ipsa similitudo in abstracto, siue animalitas. Cæterum in diuinis, quæ sunt eadem vni tertio, quandoque sunt idem inter se in abstracto, non verò in concreto: quandoque verò, nec in abstracto, nec in concreto sunt idem inter se inuicem. Primum perspicuum est; quia ex eo, quod essentia communicate, & Paternitas sit essentia, non fit, Paternitatem communicari, sed solum esse communicationem. Secundum constat, quoniam ex eo, quod essentia sit Filiatio, & Paternitas sit essentia, non fit, Paternitatem esse Filiationem vllatenus.

260 Vigessimumquintum argumentum est, iuxta nostram sententiam admitti oportere in omnipotentia Dei infinitas formalitates virtualiter distinctas, quibus Angelum, hominem, leonem, & reliquas species possibiles, quæ sanè innumera sunt, producere possit, & similiter in intellectu, & voluntate, non solum diuina, verum etiam humana admitendas etiam esse infinitas formalitates virtualiter distinctas, quibus infinita obiecta specie diuersa

uersa cognitione, & amore prosequi possunt. Sequela est in aperto: cur enim homo, quā animal, & quā rationale, siue prout sensationes, ac discursus respicit in duas formalitates virtualiter distinctas dissecari debeat, & Deus infinities scilicet, ac diuisibilibus non sit, cum infinitos effectus specie diuersos per omnipotentiam, & infinita obiecta per intellectum, & voluntatem respiciat. Consequens autem non minus aperte absurdum videtur.

261 Respondeo, concessa sequela. Consequens autem absolum non esse, sed rationi valde consonum, hoc pacto persuadeo. Quemadmodum negationes, seu carentiae inter entia realia, & rationis mediant; ita haec distinctio virtualis, qua de loquimur, inter realem, & rationis, siue considerationis media est: sed negationes, & carentiae iuxta aduersarios plerisque etiam in Deo, & quauis creatura multiplicatur infinities, vt cum materia prima infinitis caret formis substantialibus; & Deus infinitis decretis, quae concipere poterat: similiter ergo absque vilo incommodo virtualis, siue media distinctio infinities multiplicari, Deumque, & creaturas in formalitates innumeras discindere poterit, quantumlibet distinctio realis, ac determinata partium esse nequeat infinities multiplex.

262 Deinde haec distinctio virtualis intrinseca est distinctio impropria, & secundum quid, sicut distinctio rationis ratiocinantis, siue virtualis extrinseca: sicut ergo in Deo, & creatura iuxta plures aduersarios infinitae formalitates ratione, seu consideratione distinctae multiplicari possunt sine vilo incommodo; quidni similiter, & infinitae formalitates virtualiter distinctae? Insuper omnipotentia Dei non est magis indiuisibilis, nec minus fissilis, quam eius intellectus: sed in intellectu diuino sunt infiniti actus scientiae liberae, quibus infinitas carentias cernit, & scientiae mediae, per quos infinitos euentus sub conditione perspicit: sicut enim dari potest vna carentia sine alia, & quibus etiam euentus conditionatus absque alio, ita Deus vnamquamque carentiam sine alia, & quemlibet etiam euentum sub conditione futurum sine alio cognoscere potest, atque affirmare: proinde quemadmodum carentiae, & euentus illi distinguuntur inter se inuicem, ita etiam eorum cognitiones in Deo distinguuntur infinities, non realiter, adeoque virtualiter: similiter ergo in omnipotentia Dei, & in potentia quauis creata infinitae formalitates virtualiter distinctae reperiri poterunt absque vilo incommodo.

263 Tandem in physicis si finita puncta maius facere nequeunt, nec infinita etiam puncta sibi inuicem addita facere poterunt maius: infinitae ergo distinctiones, seu diuisiones virtuales diuinæ perfectioni, & simplicitati derogare non poterunt, vbi finita numero ei non derogent; sicut eas non derogare existimant aduersarii, dum aliquas formalitates virtualiter distinctas, licet finitas in Deo admittunt.

264 At obiciet aduersus nostram solutionem Aristotelis auctoritatem lib. 1. metaphys. capite 2. vbi in re etiam creata, & finita respicit infinitudinem praedicatorum essentialium, siue conceptuum ratione distinctorum: quem sequuntur ibidem Fonseca, & communiter alij interpretes, necnon Suarez disputatione 13. metaphys. sectione 11. num. 19. Obiiciet secundò: omnis formalitas addit aliquam perfectionem alteri, verbi gratia, rationalitas animalitati, rationalitati risibilitas, &c. ergo si creatura quauis, pro eo, ac disputauimus, infinitas habet formalitates

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

virtualiter, seu ratione distinctas, quauis fortietur infinitas perfectiones, adeoque erit Dei instar infinite perfecta. Obiiciet tertio: in serie praedicatorum essentialium, & formalitatum metaphysicè, ac virtualiter distinctarum est aliquod supremum genus substantia, verbi gratia, aut, si mauis, ens: item aliqua differentia vltima, videlicet, quae speciem atomam constituit. Tum sic: omnia praedicata essentialia hominis, verbi gratia, ratione distincta inter haec clauduntur extrema: fieri ergo nequit, vt ea non sint numero finita: alioqui erit, vt infinitum cohibeatur terminis, quo tamen nihil fingi potest falsius, aut absurdius.

Ad primam obiectionem respondeo, Aristotelem, 265 eiusque interpretes intelligendos esse de infinita multiplicitate, ac distinctione rationis ratiocinantis facta per diuersas cognitiones, quae quidem, naturaliter saltem, ac citra miraculum infinities distinctae realiter, pluresque esse nequeunt, sicut ad infinitam multiplicatam rationis eidem obiecto communicandam oportet. Intelligi etiam possunt de praedicatis metaphysicis, quorum effectus simul existant, cuiusmodi sunt animal, & rationale: namque id genus praedicata metaphysica esse non possunt infinita, nisi infiniti effectus realiter distincti ab eadem causa simul existant, quod tamen, saltem ex natura rei repugnat.

Ad secundam obiectionem respondeo, nullam 266 formalitatem alteri à se tantum virtualiter distinctae perfectionem addere propriè loquendo: additio namque, siue accessio distinctionem exposcit: cum ergo illa haud sit in eis vera, & propria, nec certè haec. Adice etiam, si cuius formalitati merito alterius strictè accresceret aliquid perfectionis omnesque, prout existimant plures cum Scoto, actu, & verè distinguerentur inuicem, haud propterea effecturas perfectionem aliquam totalem simpliciter infinitam, sed cumulum quendam secundum quid, & in aliquo genere finis nescium: tum, quia perfectio simpliciter, & in omni genere infinita est, quae formaliter, aut certè eminenter continet omnem perfectionem, nullā prorsus exemptā: at huiusmodi est perfectio solius Dei, secus verò ea, quae est in collectione formalitatum hominis, verbi gratia, quantumuis infinities multiplici, idque verè, & propriè: haud enim illa cohibet formaliter, aut eminenter perfectiones Angeli, cali, nedum ipsius Dei: tum secundò, quia perfectio simpliciter, siue in omni genere infinita debet esse omnis prorsus imperfectionis expert: at si statuatur in homine, verbi gratia, formalitates infinitae actu distinctae inuicem, vel eo ipso imperfectionem compositionis admittent, & praeter hanc alias innumeras: necesse ergo est, vt procul habeant infinitatem illam simpliciter, & in omni genere Dei propriam: tum, quia Deus potest producere lineam aliquam ab oriente ad occidentem, & è conuerso sine fine porrectam, vt patuit in physica, vtque modo disputandi gratia supponendum: at haec munere innumerabilium partium, ac perfectionum haud esset simpliciter, & in omni genere infinita propter causas nuper adductas: ergo neque talis erit creatura vlla, quantumuis infinitis perfectionibus, non tantum virtualiter, sed etiam actualiter, & ex natura rei distinctis coalescat.

Ad tertiam obiectionem respondeo. Partes lineae 267 finitae, verbi gratia, bicubitae sunt de Aristotelis, & plerorumque philosophorum sententia infinitae: & tamen clauduntur duobus terminis, ac punctis, altero videlicet, à quo incipit linea, & altero in quod definit. Quanquam ergo praedicata essentialia hominis, v. g. claudantur

claudantur duobus terminis, supremo scilicet genere, & differentia infima, haud propterea non poterunt esse infinita.

268 Dices primò cum P. Suarez vbi paulò suprà, partes lineæ bicubitæ infinitas esse communicantes, & minores inclusas in maioribus, ac, nisi inadæquatè tantum distinctas inuicem; quare haud esse mirum, quòd eiusmodi infinitudo terminis cohibeatur: cæterum prædicata essentialia hominis, aut alterius speciei ratione, & virtualiter esse distincta, id quæ adæquatè, & ex toto, aliæque haud includi in aliis: quamobrem eorum infinitudinem haud posse cohiberi terminis: cohiberetur autem, si quæ posset admitti: nullam ergo esse admittendam.

269 Verum in primis maior est distinctio realis inadæquata, quàm distinctio virtualis, ac solius rationis, quantumvis adæquata: illa siquidem aliquid habet veræ distinctionis, hæc omninò nihil: si ergo partes lineæ realiter inadæquatè distinctæ, & communicantes inuicem nihilominus intrà duos terminos infinities multiplicari possunt; à fortiori id ipsum dicendum est de prædicatis essentialibus, quamvis adæquatè, ac nonnisi virtute, ac ratione sola distinctis. Deinde inter summum ens, Deum scilicet optimum maximum, & non ens sunt infinitæ species creaturarum possibiles: at illæ distinguuntur realiter adæquatè: parum ergo refert inadæquata distinctio realis partium continui terminati, quandoquidem idem fieri potest argumentum in alia infinitudine rerum realiter adæquatè distinctarum, & tamen terminis vtrinq; clausa. Ad hæc in physica ostensum est, partes infinitas cuiuscunque continui realiter adæquatè distingui: quocirca opposita ruit instantiæ fundamentum.

270 Dices secundo, terminos immediatos, hoc est, inter quorum alterutrum, & quas coercent partes, nullum sit medium, nullum interstitium, ob stare infinitati: hæc enim de causa partes numeri alicuius, v. g. decadis nequeunt esse infinitæ, quia videlicet ita cohibentur intra primam unitatem, & decimam, vltimamque, vt primæ unitati sit immediata secunda, & huic tertia, & sic de reliquis sursum ascendendo; contra verò decimæ unitati nona, & huic octaua, & sic de cæteris ordine retrogrado. Cæterum si sint immediati termini illi, quibus coercentur aliqua numerositas, siue multitudo, hanc esse posse infinitam: hinc enim est, vt partes cuiusvis continui à Deo producti sint infinitæ, quia scilicet puncto illius terminatio nulla pars est immediata, nulla, quæ non possit diuidi in alias duas minores, quarum altera sit propior, ac vicinior ei puncto: & par est ratio respectu eius, quod dici solet inchoatium: hinc etiam est, vt intra summum, & increatum ens, ac non ens creaturæ possibiles sint etiam infinitæ, quoniam videlicet nulla produci potest adeò perfecta, quin inter eam ac Deum mediet, vt sic dicam, alia perfectior, si minus actū producta, ac certè produci non repugnans: nulla item adeò imperfecta, quin sit in potentia creatoris alia imperfectioni non entis vicinior, eamque inter, & priorem media. Quæ, cum ita se habeant; prædicata omnia essentialia hominis, verbi gratia, continentur intra terminos immediatos: nam substantia hinc immediatè terminat eorum seriem, cum ei sit immediatum genus corporis, & huic viuens, &c. illinc verò differentia specifica, quandoquidem, tum ei, tum toti speciei est immediatum genus proximum, aliàs ita minimè meritorium appellari, & nequaquam à remoto distinguendum. Quamobrem haud videtur fieri posse, vt sit in prædicatis essentialibus processus in infinitum, quantumvis in parti-

bus continui, aut collectione creaturarum possibilem admittatur.

Sed ne hoc effugium tutos præstat aduersarios, 271 quippe quibus id permittere non possum, nec argumento facto cogor, prædicata essentialia terminis claudi immediatis. Nam, tamen quoad nos substantiæ sit contiguum genus corporis, aliter tamen reuera accidit: siquidem substantiæ, quæ est supremum generalissimumque genus, omnesque cohibens substantias, propius est aliud genus substantiæ, quod, tum corpora omnia, tum etiam aliquos contineat spiritus, non verò omnes, quàm genus corporis: est enim illud vniuersalius, quàm hoc: deinde, ne illud est immediatum substantiæ latissimè fusæ, sed ei vicinior est alia substantia, quæ, tum corpora cohibeat, tum maiorem spirituum multitudinem; & sic in infinitum.

Rursus etsi differentiæ specificæ hominis, ipsique 272 homini videatur immediatum genus animalis, si tamen non respectu nostræ, & scientiæ, quæ pollemus adeo imperfectæ, & malignæ sermo sit, sed potius res in se resecetur ad viuum, sanè propius est speciei humanæ à Deo conditæ, ac differentia eius propriæ genus hominis, quàm animalis. Scire namque est plures hominum species à Deo creati posse, quæ nimirum est possibilis inæqualitas, eaque notabilis, tum in corporibus non productis, tum etiam in animabus: in illis, vel propter capacitatem plurium, aut pauciorum formarum, vel propter maiorem, aut minorem actualitatem, & complementum, idque proprium, & non extrinsecus emendicatum: vel propter indiuisibilitatem, aut diuisionem integram partium: in his verò propter perfectiores, seu imperfectiores operationes discurrendi, amandi, &c. Quidni ergo homo in communi sit genus inuitu huiusmodi specierum humanarum Deo possibile: at quod ei speciei humanæ, quæ modo est producta vicinior, quàm animal, est luce clarius. Deinde intra genus supremum hominis omnes eius continens species est aliud pauciores cohibens, & infra hoc aliud adhuc pauciores complectens, & sic absque fine, quin vnquam deuenire sit ad genus hominis infimum, & reipso proximum huic speciei hominis, quam agnoscamus. En quatenus prædicata essentialia hominis haud coercentur terminis immediatis, sed potius mediatis tantum.

Post hæc aliud est loqui de prædicatis essentialibus 273 directè collocatis in prædicamento, aliud de his, quæ non collocantur in eo directè, sed reductiue, & indirectè, cuiusmodi sunt differentiæ omnes prout tales, & quatenus condistinctæ à rationibus conueniendi; hæc namque haud sunt formaliter ens, substantia, &c. Quamquam ergo instantia facta id concludat, prædicata essentialia prioris generis haud esse posse infinita, eò videlicet, quod terminos fortiantur immediatos, substantiam nempe, & differentiam atomam: nihil tamen habet momenti in prædicatis essentialibus posterioris generis, vt intuenti clarebit.

C A P V T XVIII.

Postrema argumenta aduersus distinctionem virtuales intrinsecas in rebus creatis soluntur.

Vigesimum sextum argumentum. Admissa semel 274 distinctione virtuali, vnum contradictorium de alio verè poterit affirmari, siquidem hæc propositiones

non